


¶ Cautela obseruanda in dispositione rotarum.

Operandi modus huius secundi instrumenti verus quidem & certus est, quoties annus currens siue propositus in arcu limbi inferioris rotæ ab indice X Y procedendo secundum dierum ordinem, usque ad 29 diem Ianuarii, horam 12, Mi. 44 siue stellam lunæ (ut sic depictam ✳☽ reperitur. Annus ille cum filo (vt prius dictū est) signatur, eidemque denuo index XY adducitur, qui inuariatus ad operationis finem sic perdurabit. Si uero post primam siue radicalem indicis locationem annus propositus à stella prædicta (supputatione secundum dierum ordinem facta) usque ad indicem X Y occurrat, iam dictæ stellæ centrum inspice, per huncque filū tende, cui subducis indicem T. Mox deinceps filum ducatur per propositum siue currentem annum, ubi intersectio fili cum circulo T diem tantū, aut diem horamque dabit. Dies ille tandem in limbo Ianuarii requisitus, cum filo signatur, eidemque denuo ostensor X Y subiungitur, ita autem rota illa ultimum sui locum sortita est. Atqui nunc mihi uideor satis superque positionem rotæ X Y declarasse, admonens interim, ut similia de rota Z V intelligantur, qualia de rota X Y prodita sunt, interesse tamen hoc vnum quod hic considerandus erit index Z V, & centrum stellæ iuxta 27 Ian: diem signatæ cū charactere draconis sic ✳☊

